

in nulla alia quàm sphaerica figura contingit. Vnde manifestū est, terram quoque uerticibus includi, & propter hoc globosam esse. Adde etiā, quòd defectus Solis & Lunæ uespertinos Orientis incolæ non sentiūt; nec matutinos ad occasum habitantes: Medios autem, illi quidē tardius, hi uero citius uidēt. Eidem quoque formæ aquas innitī à nauigantibus deprehēditur: quoniā quæ è nauī terra nō cernitur, ex summitate mali plerūque spectatur. At uicissim si quid in summitate mali fulgens adhibeatur, à terra promotō nauigio, paulatim descendere uidetur in littore manentibus, donec postremo quasi occiduum occultetur. Constat etiam aquas sua natura fluentes, inferiora semper petere, eadem quæ terra, nec à littore ad ulteriora niti, quàm conuexitas ipsius patiatur. Quamobrem tanto excelsiorem terram esse conuenit, quæcunque ex Oceano assurgit.

Quomodo terra cū aqua unum globū perficiat. Cap. III.

**H**ic ergo circumfusus Oceanus maria passim profundens, decliuiores eius descensus implet. Itaque minus esse aquarum quàm terræ oportebat, ne totā absorberet aqua tellurem, ambabus in idem centrum tendentibus grauitate sua, sed ut aliquas terræ partes animantium salutē relinqueret, atque tot hincinde patentes insulas. Nam & ipsa continens, terrarumque orbis, quid aliud est quàm insula maior cæteris? Nec audiendi sunt Peripateticorum quidā, qui uniuersam aquam decies tota terra maiorem prodiderūt. Quòd scilicet in transmutatione elementorum ex aliqua parte terræ, decem aquarum in resolutione fiant, coniecturam accipientes, aiuntque terram quadantenus sic prominere, quod nō undequaque secundum grauitatem æquilibret cauernosa existens, atque aliud esse centrum grauitatis, aliud magnitudinis. Sed falluntur Geometricæ artis ignorantia, nescientes quòd nec septies aqua potest esse maior, ut aliqua pars terræ siccaretur, nisi tota centrum grauitatis euacuaret, daretque locum aquis, tanquam se grauioribus. Quoniam sphaeræ ad se inuicem in tripla ratione sunt suorum dimetientium. Si igitur septem partibus aquarum terra esse

set